

Unde et Aristoteles, *Metaph.*, cap. 5, text. 22: *Abjiciens* (ait) *habet aliquid ejus quod abjicit*, ubi idem dicit D. Thomas, lect. 13.

11. *Accedit ratio.* — Accedit quod, juxta illam sententiam, ablata præmotione necessario cessat consensus, quia impossibile est habere illum sine prædeterminatione; ergo tunc non homo abjicit motionem Dei per carentiam consensus, sed dum a Deo ipso privatur præmotione, privatur consensu: ut autem voluntas contraria suboriatur, alia etiam prædeterminatio contraria necessaria est, quam Deus pro sua sola libertate præbet; ergo nec tum homo abjicit a se priorem præmotionem per talem voluntatem, quia jam præmotio illa cessaverat, et altera successit, cui potius tribuenda est expulsio quasi formalis alterius motionis, quam volitioni, quæ ex illa secunda præmotione inevitabiliter sequitur. Ergo illa verba Concilii: *Quippe qui et illam abjicere potest*, et intrinsece includunt sensum compositum, tam ratione verbi *abjicere*, quam ratione relativi *illam*, et nullo modo possunt cum proprietate et veritate ad prædeterminantem motionem applicari. Idemque est de illis: *Potest dissentire si velit*; primo, ratione verbi *dissentendi*, quod non verificatur, nisi respectu motionis et inspirationis actu moventis; sicut dicitur quis dissentire tentationi, quando illa urgetur, non vero postea quando jam cessavit. Item quia magis est dissentire quam non consentire alicui; sed posse non consentire includit compositionem cum alterius petitione, aut suasionem; ergo eandem multo magis involvit verbum *dissentendi*. Item quia consentire gratiæ vel tentationi est conjungere proprium velle eidem gratiæ, vel tentationi; ergo et dissentire est conjungere nolle cum illa gratia, cui homo dissentit. Nec refert quod in can. 4 non addatur relativum *illi*; subintelligendum enim est ex mente Concilii, in cap. 5 explicata; et addito illo relativo, multo certius est neminem dici dissentire vocationi, nisi quando illam in se sentit et habet, sicut nec dissentit tentationi, nisi quando illa urgetur.

12. *Responsio Alvarez.* — Ad hanc instantiam virtute respondet Alvarez dicta disp. 42, num. 15; objicit enim sibi, quia hæc propositio est falsa: *Homo potest resistere auxilio efficaci*, quod probat, quia hæc propositio est impossibilis: *Homo resistit auxilio efficaci*, quia, ut sit vera, oportet ut cum auxilio efficaci simul sit resistentia et dissensus, quod est impossibile. Respondet vero utramque propositionem, tam de possibili quam de inesse,

veram esse; quia licet non possint esse simul auxilium efficax et actualis resistentia, nihilominus homo resistere potest auxilio efficaci, non actu dato, sed oblato, quia potest illi obicem ponere, cum offertur per gratiam sufficientem. Sed hæc responsio repugnat propriæ doctrinæ illius auctoris, et fere aliorum, qui illam sententiam sequuntur; quia si auxilium efficax est prædeterminans, non pendet ex dispositione hominis negativa, nec positiva, ut supra probatum est, unde non potest illi obicem ponere, nec in tali auxilio distinguuntur dari et offerri, quia si non datur, nec offertur, cum nihil possit homo facere, ut detur. Deinde non satisfacit, quia Concilium loquitur non de auxilio oblato, sed dato; sic enim ait: *Si quis dixerit hominis liberum arbitrium a Deo motum et excitatum.* Unde tandem cogitur dictus auctor admittere hanc propositionem: *Homo, a Deo efficaciter motus, potest dissentire auxilio efficaci*; revertitur autem ad sensum divisum, qui illam destruit, quia si auferatur motio, jam liberum arbitrium non dissentit auxilio efficaci, sed quia illud jam non habet, contrarium operatur.

13. *Quintum argumentum.* — Quinto, hoc ipsum valde confirmat particula *si velit*, nam loquitur Concilium de libero arbitrio a Deo moto et excitato, ac subinde loquitur facta suppositione talis motionis, et addit *posse dissentire si velit*; ergo supponit etiam illam voluntatem dissentendi esse possibilem. Quis enim dicat hominem, ligatum catenis quas non potest rumpere, posse fugere si velit, solum quia, si ab alio catena auferantur, tunc poterit fugere, si velit? Qui ergo simpliciter dicit hominem ligatum catenis posse fugere si velit, profecto dicit, non obstantibus catenis, posse simul fugere, si velit. Sic ergo Concilium dicens: *Potest dissentire, si velit*, aperte dicit, non obstante tali vocatione in homine recepta, posse hominem, si velit, aut motionem ipsam pellere, et ita dissentire, vel, quod est certius et simplicius, non obstante motione in homine existente, posse hominem velle non operari secundum illam. Et confirmatur, quia potentia in sensu diviso, quando unus actus supponitur, non est potentia ad tempus præsens, sed ad futurum; nam cum dicitur: *Aqua frigida potest esse calida*, non est id verum, nisi pro tempore futuro; quando autem Concilium dicit liberum arbitrium et excitatum posse dissentire, profecto intelligit, pro eodem tempore quo movetur, posse statim dissentire. Et licet est planus sensus Conci-

lii, omnisque alius sensus est profecto valde violentus, et futilem ac inanem reddit Concilii doctrinam. Quis enim unquam dixit voluntatem ita necessitari per gratiam, ut neque in sensu diviso possit tali actu carere, si motio gratiæ tollatur; profecto neque stolidissimi hæretici hoc dixerunt; quid ergo oportebat, Concilium nos docere potestatem in sensu diviso? Aut quid hoc contra hæreticos proficiebat?

14. *Argumentum sextum.* — Sexto, addo ex prædictis verbis colligi, Concilium non loqui de aliqua motione quam homo non sentiat prius, vel tempore, vel natura, quam consentiat, ac subinde non loqui de auxilio efficaci, quod nec vitale sit, nec in homine fiat, ipso non cooperante vitaliter, sed, ut ita rem explicem, loqui de auxilio quod in homine fiat, ipso sentiente; ergo non loquitur de auxilio quod detur per modum concursus prævii, qui ab ipso percipi non posset. Hoc colligo ex vi verbi *dissentendi*, et *consentiendi*, nam relationem et conjunctionem dicunt ad aliquid, quod prius animadversum, et sensu quodam spiritali perceptum est. Et hoc significavit Concilium cum dixit: *Tangente Deo cor hominis*, nam ille tactus sentiri debet, ut moveat, sicut in illo: *Ecce sto ad ostium et pulso*, pulsus ille vitalis et perceptibilis ab homine esse debet, ut homo possit aperire vel renuere. Et ideo addidit Concilium: *Per Spiritus Sancti illuminationem, vel inspirationem*, quia hæc sunt motiones perceptibiles ab homine. At Concilium loquitur de motione efficaci, ut probavimus, et dicit hominem posse illi dissentire, et supponit auxilium efficax tale esse, ut faciat se percipi; et respectu illius dicit habere locum tam dissensus, quam consensus; ergo, sicut in consensu hoc non potest esse verum, nisi respectu auxilii, quod actu existit et percipitur, ita neque in dissensu, quia etiam includit habitudinem ad motionem existentem, et ab homine perceptibilem, seu perceptam, licet diverso modo; nam consensus diffinitur conformitatis, dissensus difformitatis. At vero respectu motionis impressæ homini sine sensu hominis, non est proprie consensus, quia illa motio non sentitur, sicut homo non consentit habitui, quando per illum operatur, sed consentit inspirationi, quam habuit, multoque minus respectu talis motionis habet locum dissensus, quia consensus, licet hanc denominationem recipiat respectu inspirationis, saltem potest esse simul cum prædeterminatione (si detur), et aliquo modo illi

conformatur, saltem ut actio suo principio; actus vero contrarius non potest esse simul cum prædeterminatione (si detur), unde nec potest haberi repugnando illi, sed repugnando inspirationi; ergo auxilium illud cui homo potest dissentire, si velit, non est prædeterminatio, sed inspiratio; ergo et gratia efficax non est prædeterminatio, sed inspiratio.

15. *Argumentum septimum.* — Septimo, considero quod, licet Concilium loquatur de auxilio efficaci, non tamen de illo solo, sed de sufficienti, id est, de vocatione et inspiratione necessaria quæ aliquibus est efficax, et in aliis inefficax. Hoc videtur admitti ab omnibus auctoribus citatis, non enim dicunt Concilium loqui de solo auxilio efficaci, sed loqui etiam de illo. Item, quia Concilium tradit doctrinam generalem de necessitate gratiæ, cum qua et libere consentitur, et libere etiam dissentitur; loquitur ergo de auxilio, tam efficaci quam sufficiente. Hinc ergo novum argumentum sumo: nam Concilium, dicens posse hominem abjicere inspirationem, seu posse illi dissentire, si velit, abstracte loquitur de inspiratione, tam sufficiente quam efficaci; sed respectu sufficientis, verbum *potest* accipitur in sensu composito, ut Alvarez fatetur dicta disput. 92, num. 8; ergo etiam respectu efficaci. Probat consequentia, quia idem verbum in eadem simplici propositione uniformiter accipiendum est, et non æquivoce, respectu diversorum; id enim non congruit, præsertim in doctrina fidei tradenda ac definienda; tum etiam quia Concilium dicens liberum arbitrium aliquid agere, inspirationem illam recipiens: *Quippe qui illam abjicere potest*, per relativum *illam* refert eandem omnino entitatem divinæ inspirationis, quatenus habet virtutem movendi et inducendi arbitrium in consensum, et respectu illius dicit voluntatem posse dissentire, etiamsi interdum non dissentiat; ergo semper facit sensum compositum respectu talis auxilii secundum se spectati, solum ut præveniens ac necessarium est: ergo, sive in re tale auxilium sit efficax, sive inefficax, semper potestas resistendi illi est in sensu composito, quamvis non semper resistentia in actum redigatur. Et augetur vis hujus rationis, quia, ex mente Concilii, eadem inspiratio ejusdem omnino entitatis et virtutis, quam nostra voluntas, aliquid agendo, libere acceptat, posset ex eadem libertate voluntatis frustrari effectu. Ergo secundum entitatem suam eadem inspiratio præveniens est, quæ interdum est efficax, interdum sufficiens; ergo etiam quando dicit

Concilium posse voluntatem dissentire, si velit, eandem potestatem tribuit voluntati respectu utriusque auxilii, ut præveniens est, etiamsi non semper æqualem effectum habeat; ergo sic illa potestas est in sensu composito respectu auxilii efficacis. Quæ ratio in dicendis infra in quæstione de operantibus inæqualiter, cum aliquali auxilio præveniente, evidenter fiet.

16. *Argumentum ultimum. — Confirmatur.* — Octavo, ita ex dictis argumentor, quia dicere, posse dissentire vocationi, et addere, in sensu diviso, involvit repugnantiam, nam per hoc secundum destruitur primum. Patet, quia eo ipso quod sensus divisus postulatur, requiritur ut tollatur motio, ut potestas dissentendi in actum reduci valeat; at tunc illa cessatio vel opposita voluntas, non est dissensus, ut probavi; ergo potestas illo modo, in sensu diviso, non est ad dissentendum, sed ad non volendum, ad aliud volendum absque dissensu ad gratiam, quæ jam non movet. Unde confirmatur, nam actu dissentire gratiæ vocanti, est cum illa actu instigante componere dissensum; ergo posse dissentire eidem gratiæ, est posse cum illa componere dissensum. Nec per hoc fit transitus a sensu diviso ad compositum, ut Alvarez dicit et non probat, sed explicatur objectum, et actus illius potentiae, qui cum in se, et ex propriis rationibus, extremorum compositionem involvat, non potest attribui alicui facultati ob potestatem in sensu diviso, sed in composito, alias non erit potentia ad talem actum.

17. *Confirmatur ac declaratur.* — Et confirmatur ac declaratur, nam dissensus de quo loquitur Concilium, debet esse contrarius consensui, de quo idem Concilium loquitur; sed consensus non est possibilis nisi componendo actum consentiendi cum motione gratiæ; quia cum sit consensus supernaturalis, non potest esse nisi cum motione gratiæ; ergo etiam dissensus includit compositionem cum eadem motione gratiæ. Patet consequentia, quia contraria, quatenus opposita sunt, debent versari circa idem simile et dissimile, nam respectu diversorum non erunt opposita, et ita est in proposito, nam dissensus et consensus dicuntur quasi relative ad gratiæ sensum, ut supra dicebam; non sumerentur autem respectu ejusdem, nisi eandem motionem supponerent in voluntate, et cum illa uterque componeretur. Unde si quis petenti nunc velit dare, dicitur consentire petitioni, et si, stante eadem petitione, nolit, dicitur dissentire. Si autem

postea eidem non petenti nolit dare, erit simplex nolitio, non tamen erit dissensus, quia non dicit habitudinem oppositam eidem termino; ergo si detur motio gratiæ, cum qua conjungi non possit carentia actus ad quem movet, neque volitio illi opposita, respectu talis motionis impossibilis est dissensus. Ergo in nullo sensu verum esse potest quod homo possit illi motioni dissentire, si velit, quia ad impossibile nulla est potentia.

## CAPUT XXXV.

## AD FUNDAMENTA CONTRARIÆ INTERPRETATIONIS RESPONDETUR.

1. *Refutatur dicta evasio, et interpretatio de sensu diviso.* — Tandem refutamus dictam evasionem et interpretationem de sensu diviso, expendendo fundamenta in quibus nititur, simulque ostendendo quam sit ille sensus alienus a communi more loquendi, non tantum in vulgari usu hominum, sed etiam in Scriptura et in ipso Concilio. Et quidem primum fundamentum dialecticum dignum profecto non erat ut in tam gravi puncto et materia adduceretur, ut, quia verbum *potest* inter extrema propositionis positum est, sensus sit divisus, et non compositus. Igitur quia Paulus dixit: *Sine fide impossibile est placere Deo*, non erit id verum in sensu composito, sed in diviso, quod aperte falsum est, nam illa duo componere, carere fide, et placere Deo, impossibile est: in sensu autem diviso, homo carens fide potest placere Deo. Item Esther 13: *Non est qui possit resistere voluntati tue*, quod est verum in sensu composito, non in diviso. Similia habentur Job. 9 et 41, et semper fere verbum *potest* interponitur, quia hic est communior modus enuntiandi. Et idem Concilium Tridentinum, in simili forma loquendi, sæpe utitur verbo *posse* in sensu composito, ut in cap. 14 et 15, can. 2 et 3, diligenter observat Diotalev., cap. 6. Ubi etiam recte notat, in communi sermone cum dicimus feminam quantumvis rogatam posse non consentire, et hominem acriter tentatum posse resistere, intelligimus hæc dici in sensu composito, quoniam alias ridiculæ essent similes asseverationes. Sicut etiam quod Christus Dominus dixit, Luc. 10: *Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?* certe in sensu composito intelligendum est. Nam potestas in

sensu diviso, id est, ad occurrendum alteri, si desistat venire cum viginti millibus, et cum paucioribus veniat, inutilis esset et impertinens ad deliberandum de bello committendo. Et confirmatur, nam si regula illa dialectica firma est, erit vera hæc propositio simpliciter prolata: *Voluntas Christi unita Verbo potuit peccare*, quia faciet sensum divisum, nimirum si dimittatur a Verbo, quæ tamen in communi sensu omnino falsa judicatur. Ergo hujusmodi propositiones, simpliciter et sine alia declaratione prolatae, communiter faciunt sensum compositum, quando in similibus materiis proferuntur; ergo incredibile est Concilium in alio sensu fuisse locutum.

2. *Negatur sensum divisum sufficere ad intentionem Concilii.* — Ad secundum, negamus sensum divisum sufficere ad intentionem Concilii, satis enim a nobis ostensum est potestatem ad carentiam actus, vel ad actum oppositum in sensu tantum diviso, non sufficere ad libertatem, nam talis potestas inveniri potest etiam in potentiis naturaliter agentibus, et in ipsa voluntate, respectu illorum actuum quos interdum necessario et non libere producit, ut de amore beatifico diximus, et de actibus indeliberatis, qui motus primo primi dicuntur, est evidens. Nam illos facit voluntas ex quadam necessitate contraria libertati, et nihilominus potest voluntas in sensu diviso suspendere talem actum et ab illo dissentire; nam licet in sensu composito, stante illa indeliberatione ex parte intellectus, non possit cum illa conjungere suspensionem illius actus, vel habere dissensum illi contrarium, nihilominus cum illa indeliberatione seu inadvertentia ex parte intellectus retinet voluntas intrinsecam potestatem, ut possit suspendere et tollere a se illum actum, si ex parte intellectus consideratio antecedit, atque adeo in sensu diviso. Simile est de illo qui aliquid operatur ex ignorantia invincibili antecedente, nam in eo non libere, sed necessario operatur, et ideo in eodem non peccat. Et nihilominus retinet potentiam in sensu diviso ad cavendum tale opus, quia ignorantia illa non abstulit nec diminuit voluntatis potestatem in actu primo, ratione cuius potest illud opus vitare, si ex parte intellectus ignorantia tollatur, et consideratio accedat, ac subinde in sensu diviso. Hoc ergo argumentum ad hominem retorquetur, supposito illo principio quod in eo supponitur, nimirum Concilium loqui de illa potestate, quæ in voluntate sufficit, et necessaria est ad usum liberum; sed

potestas in sensu diviso ad hoc non sufficit, ut satis superque ostensum est; ergo loquitur in sensu composito.

3. *Ad tertium respondetur circa verba dissentendi ac resistendi.* — Ad tertium, respondeo verba *dissentendi* et *resistendi* in præsentia materia æquipollentia esse, quia nihil aliud est resistere vocationi divinæ, nisi illi non consentire, vel dissentire; sicut non est aliud resistere tentationi, quam non consentire, vel dissentire illi; nec aliter consulimus alicui ut resistat, nisi dissensum consulendo. Idem ergo est de resistentia vocationi Dei. Unde quod Christus ad Jerusalem dixit, Matth. 23: *Quoties volui congregare filios tuos, et nonuisti.* Stephanus dixit, Act. 7: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos.* Et in eodem capite, prius de Moyse loquens, subdit: *Cui noluerunt obedire Patres vestri, sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis*, in quibus verbis nolle obedire est dissentire, repellere autem est resistere, et unum per aliud explicatur. Denique satis a nobis declaratum est quomodo in ipso verbo dissentendi includatur renitentia quædam, ac subinde resistentia, quia dissensus dicit habitudinem contrariam cui dissentitur, eundemque sensum compositum involvit.

4. *Mens Concilii pluribus argumentis comprobatur.* — Et præterea ex eodem Concilio potest multis argumentis ostendi hanc fuisse illius mentem. Primo, quia non est verisimile ex industria vitasse verbum *resistendi*, sed potius voluisse non solum in actu signato et confuso, sed etiam in actu exercito et specifico explicare modum resistendi, qui est per dissensum. Secundo, quia verbum *alijcere* satis aperte involvit resistentiam, sicut verbum *renuendi*, quod habetur Proverb. 21: *Vocari, et renuistis*, et facile possunt inveniri similia æquivalentia. Tertio, Concilium, ut diximus, generatim loquitur de vocatione, tam sufficienti, quam efficaci; sed dissentire vocationi sufficienti est illi resistere; ergo posse dissentire efficaci est posse illi resistere. Quarto, Calvinus ipse confessus est, multis sæculis traditum esse in Ecclesia, et creditum: *Gratiam ita movere voluntatem, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari*; et in eo hæreticus fuit, quod quam agnovit esse antiquam Ecclesiæ fidem, ausus est negare. At Concilium voluit antiquam fidem retinere ac definire et Calvino resistere; ergo voluit docere posse voluntatem refragari motioni gratiæ; at *refragari* idem est quod *resis-*